Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite
Quelle:
Copyright:

LECTORI.

Indulgentissimi Domini nostri Augusti ea semper mente fuere, ut literariorum thesaurorum, in quibus accumulandis nullis sumtibus, nulli industriae parci voluerunt, utilitas ad quamplurimos pertineret. Hinc spatiosum Atrium Bibliothecae Palatinae praestitutis horis quotidie Lectoribus refertum videas, quibus sedula in promendo Ministrorum comitas nihil, quod quidem suppetit, deesse patitur. At vero quid iis doctrinae Studiosis facias, qui sparsi per omnes Europae Provincias isthoc Principum beneficio frui nequaquam possunt? Ignorabunt illi in perpetuum, quaenam ipsorum commodis opportuna in pluteis nostris delitescant, edentque Opera ea solum de caussa minus perfecta, quod, unde perfectiora peterent Exempla, compertum non habuerint? An vero Bibliothecarum Praesides, ut huic occurrant malo, quidquid in scriniis servant, absque delectu, promiscue, prelo subjicient? Ego vero illorum esse censeo, non laborare aliorum loco, sed aliorum labores adjuvare, indicare, et offerre sua, non obtrudere. Atque hic media incedendum via; neque nudis Codicum Titulis, ut quibusdam Bibliothecis placuit, in chartam conjectis provehi multum studia, neque doctis, quae superioris Seculi fuit intemperantia, ambagibus et excursibus; acuendum appetitum, non ingerendum fastidium; Codicem quemvis ita delineandum, ut ex iis, quae dicuntur, planum fiat Lectoribus, quid in rem suam inde derivare possint; adlaborandum, si quidem ἀδεσποτης, Ψευδωνυμος, dubiusve sit Codex, ut veri Autoris obtineatur notio; proferendum aliquod genii, stilique illius specimen; notandum, an prelo jam proditus unquam fuerit, an ea, quae prelo prodita fuerunt, e Codice ms. perfici queant, an plura ejusdem Operis in scriniis extent Exempla, quo absolutius eorum inter se contentione coalescat Απογραφον; non tamen integri cujusdam Operis instituendam contentionem, cum e recensu paucarum etiam paginarum arbitrari possint Periti, quid opis in hoc, illove Codice sit repositum; non reformidandam της Μικρολογιας notam, quam accurationi laboriosae facile nimis aspergunt ingenia frivola, nescia videlicet,

minutis